Quelle: https://manuscripta.at/?ID=886
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

qui est inter duos tropicos et arcus qui est inter orizontem et inter duos polos est quemadmodum narrabo. Describam orbem meridiei super quem sint ab. gd. super centrum z. et ponam punctum gd est super summitatem capitis a. et protraham dyametrum a e g et producam a g in superficie orbis meridiei lineam orthogonalem super quam sint g k. z n. Manifestum est igitur quod hec linea equidistat linee que transit super duo puncta super que secat orbem meridiei et circulus orizon. Et quia quantitas totius terre quoad quantitatem orbis solis est sicut punctum et centrum secundum sensum ponam centrum e. caput instrumenti et ymaginabor instrumentum linea g e. Sitque linea g k. n z. super quod cadit extremitas umbre in medietatibus diei et sit radius solis in die breviori et in die longiori et in die equali transiens super punctum e. et sicut radius solis in die equali linea b e d z. et radius eius in die longiori linea h e. t x. et radius eius in die breviore linea l e. m n. Sitque linea g k. umbra diei umbra diei longioris et g z. umbra diei equalis et linea g n. umbra diei brevioris. Et quia arcus g d. equatur altitudini poli septentrionalis ab orizonte in hoc climate que est 36 partes secundum quantitatem qua circulus est 360 partes et unusquisque duorum arcuum t d. d m. est secundum illam quantitatem 23 partes et 51 minuta et 20 secunda ergo manifestum est quod arcus g t residuus sit 12 partes 8 minuta et 40 secunda et totus arcus g m. secundum illam quantitatem est 59 partes et 51 minuta et 20 secunda. Quapropter erunt anguli qui sunt sub eis secundum quantitatem qua quatuor anguli recti sunt 360 partes ita scilicet erit angulus k e g. 12 partes et 8 minuta et 40 secunda et angulus z e g. 36 partes et angulus n e g. 59 partes et 51 minuta et 20 secunda secundum quantitatem vero qua duo anguli recti sunt 360 partes erit angulus k e g. 24 partes et 17 minuta et 20 secunda. et angulus z e g secundum illam quantitatem 72 partes et angulus n e g. 119 partes et 42 minuta et 40 secunda. Arcus ergo qui sunt portiones circuli descripti super z. angulos qui sunt k e g. z e g. n e g. ortogonios. erunt sic videlicet erit arcus qui est supra lineam g k. 24 partes et 17 minuta et 20 secunda et ille qui est super lineam g z. et lineam e g. qui est quod minuitur ex semicirculo erit secundum quantitatem illam 155 partes et 42 minuta et 40 secunda. Et ille qui est super lineam g z. erit 72 partes et ille qui est super g e. secundum illam quantitatem 108 partes et ille qui est super lineam g n. erit 119 partes et 42 minuta et 40 secunda. et ille qui est supra g e. qui est id quod minuitur ex semicirculo 60 partes et 17 minuta et 20 secunda. Secundum quantitatem ergo qua k g. 25 partes et 14 minuta et 53 secunda erit g e. 117 partes et 18 minuta et 51 secunda et secundum quantitatem qua g z erit 70 partes et 32 minuta et 4 secunda. erit g e. 97 partes et 4 minuta et 20 secunda et secundum illam quantitatem qua erit g n. 103 partes et 46 minuta et 26 secunda. erit g e. 60 partes et 24 minuta et 42 secunda. Secundum illam ergo qua instrumentum g e. erit 60 partes et 24 minuta. erit umbra g k. estiva 12 partes et 44 minuta et umbra g z. que est diei equalis 43.